Hiob XXX

Q. D. B.

DISSERTATIO PHILOLO

QVA

CELEBERRIM

SVMME REVERENDO, E

ATQVE AMPLISSIM

DOMI

IO. GOTT

CARPZ

S. THEOL. DOCTORI, MA

SINGVLARITER

MVNERVMQVE GRAVITATE, IN

LIPSIENSI, HVC D

DE

PRAESVLATV

QVEM LEGITIMA VOCA

SIMVLQVE

AVRO A SEPT

OCCASIONE VERBORVM, QVAE *IO*

EA, QVA PAR EST HVMANIT

BENJAMIN

Verb. Divin. Minist.

EDITIO SECVNDA

VITEMBE

IN BIBLIOPOLIO ZIM

1731.

D. B. V.

LOLOGICO EPISTOLICA
QVA
RIMO VIRO
DO, EXCELLENTISSIMO
SSIMO DOMINO
MINO

TLOBIO
ZOVIO

, MAGNIFICA DIGNITATE
TER CONSPICVO
TE, IN ECCLESIA ET ACADEMIA
HVC DVM, CLARO

DE

TV LVBECENSI

VOCATIONE OBTINVIT
VLQVE DE

PTENTRIONE

VAE *JOBI XXXVII*, 22. HABENTVR
VMANITATE, GRATVLATVR

N BIEHLER

NIST. ET PHIL. MAGIST.

NDA ET REPETITA.

MBERGAE
D ZIMMERMANNIANO
1731.

Summe Reverende Domine Præsul, Magnifice Domine Doctor,

PATRONE ET FAUTOR

Omni honoris cultu prosequende.

Non sine gravi causa, ad id peragendum, me jam accingo, quod mea erga TE, observantia & reverentia, omnibus modis svadet. Quia enim, *Numen Ter Optimum Maximum*, TE, nobis Saxonibus, nostrisque oculis, eripit, atque ad terræ septentrionalis ora, vocat, ingratissimus forem, nisi favoris TUI singularis, quo me, huc dum, amplexus es, memor, animo & calamo, (cum tempore exclusus, corpore non potuerim) TE comitarer, TIBIque ultimum, quod vocant, vale dicerem. Tentabo igitur, specimine aliquo exegetico, TEcum colloqui, atque sincero animi testimonio ostendere, quanti TE faciam, quantopere TIBI benecupiam, & quam multa bona feliciaque faustaque TIBI apprecer. Tenuitatis equidem meæ, meæque infirmitatis, probe conscius, timidiuscule TE compello, cum omnia, quæ in medium sim allaturus, pro singulari TUA eruditione, qua mirum, in modum, polles, omniumque admirationem in TE excitas, exactissime dijudicare que-

as;

as; sed hoc tamen, in præsentia, a cœpto, eo minus, me avocet, quo magis persvasum habeo, fore, ut, omnia, a me, tentata, æqui bonique consulas. Verto igitur faciem vultumque, cui abitus TVVS inopinatus, tantum non, aliquam conturbationem injecit, ad Septentriones, generatim spectatos, ac simul ad ortum solis, ab hoc poste, omnino expectandum, ut lætior evadam, sedatiorque recedam. Sumo mihi contemplandum aliquem locum, non tam terræ, quam Scripturæ Sacræ. Respicio Thesauros Dei, cum in cœlis, tum in terris, absconditos, atque cum disertissimo olim Elihu, exclamare sustineo: *Ab Aquilone aurum venit. Apud Deum metuenda est gloria vel majestas. Jobi XXXVII*, 22. Quanquam enim, qui gravem hunc, e tabulis sanctis, locum tractare instituunt, inenodabilem ferme nodum offendunt, montemque vix ac ne vix quidem superabilem, ut Magnifico Dn. D. V. E. LOESCHERO, *Theologo, de universa Christi Ecclesia, qua puriorum est cœtuum, longe meritissimo*, dudum observatum est, scribenti: Die Worte Elihu: Von Mitternacht kömmt Gold/ zu Lobe für den schrecklichen GOtt. Hiob. XXXVII, 22. gehören unter die Berge GOttes/ auf welche noch niemand hat kommen/ viel weniger darüber kommen können. (1)

Non tamen hæc difficultas impedit, quo minus ulterior, in instituenda hermeneusi, & indaganda veri-

(1) Confer ejus Merckwürdige Wercke GOttes, p. 134.

ritate, opera ponatur, ſiquidem quæ ex Dei myſteriis & operibus admirabiliter reſultat, ſancta donorum appetentia, veritatis cultorem, ad hoc agendum, non modo, non retardat, ſed etiam invitat atque allectat. Quare & ego periculum jam facturus ſum, an clavem horum verborum invenire, eamque in medium afferre queam. Non, quaſi ſedulis fontium divinorum ſcrutatoribus palmam præripere, vel Tecum, Vir Magnifice, aliquid inauditi communicare velim: Abſit, &, longiſſime quidem, abſit; ſed, ut levidenſi aliquo tentamine oſtenderem, quantopere Tibi, quadam, hujus dicti, repetitione & illuſtratione, de illa ſacra ſparta, quæ apud Evangelicos Lubecenſes ſumma eſt, gratulari cupiam. Patere igitur, Vir Summe, ut aliorum cauſa, mentem meam ulterius exponam. Conſtat multis Tecum, quod in Academia olim Vitembergenſi, Præſide, Celeberr. Theologo, Dn. D. Martin Chladenio, jam beate defuncto, diſputationem de *Theologia Emblematica*, reſpondendo defenderim. In hac vero deſideratiſſimus Autor, anſam mihi & aliis præbet, in ſcripturam ſacram, non uno modo inquirendi, eamque interpretandi, dum dicit: *Sic interdum ſatis viſum eſt Spiritui Sancto, ut rebus quibusdam, ipſe velut Lemma aliquod addat; quanquam rariora ſint exempla.* (2) Hæc, igitur, verba, vel ideo, jam repeto, & adduco, quoniam effatum Elihu, illis, apte reſpondet, atque ſic regulæ ac obſer-

(2) *p.* 17.

observationi verissimæ, novum aptumque exemplum præbet; id quod ulterius nunc investigandum venit. Si enim fontes aperimus, statim sane se offert, & *Protasis* & *Apodosis*, & *Symbolum* & *Lemma*, quæ omnia Emblematis naturam exprimunt, atque exhauriunt. Consideremus verba:

Ab Aquilone aurum venit. מִצָּפוֹן זָהָב יֶאֱתֶה

Apud Deum metuenda est Majestas: עַל־אֱלוֹהַּ נוֹרָא הוֹד

Certe nihil aliud hic indicatur, quam Symbolum aliquod sanctum, ejusque Lemma explicatorium. Propositio enim est bimembris, ita ut ἰχνευτής eam accurate pensitans, haud vulgarem loquendi rationem conspiciat. Quodlibet quidem asserti membrum, peculiarem habet sensum; sed, cum connotatione tamen alterius, quoniam neutrum, sine altero, id exhaurit, quod Spiritus Sanctus plenarie exprimere intendit. Accedit, quod Athnach distinctivus, medium inter utrumque membrum reperiatur, ad indicandam, Symboli & Lemmatis, differentiam, quæ mysteriorum est plenissima, ut ex ulterius dicendis, patebit. Quare de singulis Emblematis membris, horumque verborum, quæ paulo obscuriora videntur, significatibus sigillatim. Prima difficultas, in voce זָהָב hæret. Significat hæc proprie *aurum*, quod Chymicis Sol dici solet, & nihil aliud est, quam perfectissimum ac splendidissimum, e Mercurio & Sulphure, rubentibus & purissimis optime firmissimeque con-

temperatum metallum. (3) Quæritur itaque, an *aurum* hic proprie, vel improprie accipiatur? (4) Sunt enim omnino, quibus propria vocis acceptio placet, quique primum versus membrum de *inventione auri* proprie accipiendum svadent, quoniam, jam olim, indomitæ gentes, secundum PLINII *Hist. Nat.* (5) a portis *Caucasiis* per montes *Gordyæos* auri metalla fodere cœperint; & DANI SVECIQUE, aurum a Septentrione, ad nos, deferre soleant. Sed, quod pace horum, dixerim, hæc non est mens Elihu. Hic enim Emblema sistit, in natura, contemplandum; ergo proprie quidem, ad Symbolum exprimendum, loquitur, sed improprie vult intelligi. Id quod accurate satis, illi assequuntur, qui per *aurum*, *lucem oculis jucundam*, cum COCCEJO, *lucem serenissimam & purissimam*, cum MERCERO, & *talem splendorem, qualis proprie est, ex auri fulgore*, cum SCHULTENO, indigitari affirmant. Nam antecedentia verba, *versus* 21. satis aperte indicant, 7ὸν Elihu, solum, de Luce, quam Deus producit, sermonem instituere. Hinc B. Dn. D. GLASSIUS non sine plurimorum suffragio scribit: *Per Aquilonem* זָהָב *aurum venit; hoc est* אור זָהָב *Lux auri, seu aurea, ex præcedenti versu repetita voce* (6) *infra.* Sed, ne sic quidem, penitus evictum est, quid per *aurum* h. l. inprimis intelligatur. Etsi enim, lux quædam

(3) Confer. D. F. BECHMANNI *System. Physic. p. 453.* & D. L. STRAUSSII *Isagog. Physic. p. 219.* (4) *Septem auri apud Hebræos vocabula reperiuntur.* vid. GATAK. *opera Critic. p. 17.* (5) *lib. 6. c. 11.* (6) in *Philol. sacr. p. 684.*

dam cœli, indigitetur, ulterius tamen inquirendum eſt, qualis lux, cum cœlum varia luce illuſtretur, præ aliis, inſinuetur. Eruditiſſimus SCHINDLERVS, *aurum*, utpote metaphorice poſitum, *de cœlo ſudo*, vel, qui hoc ferme invehit, *de vento, ſicut aurum, puro, & aërem purgante*, interpretatur, ut B. D. GLASSIVS, (7) annotavit. Alii forte, *flammam cœli ardentem*, quæ a Philoſophis φλὸξ καιομένη vocatur, & ignitum eſt meteoron, fumo conſtans, in longitudinem ſimul & latitudinem protenſo, & in ſupremo aëre accenſo, figuram calamorum in arvis ſuccenſorum exhibens, reſpici putabunt. (8) Niſi *lucem illam borealem*, (**das ſo genannte Nord-Licht**,) de qua verba fecit, Celeb. Dn. BERCKENMEYERVS, (9) intelligendam cenſeant. Ego vero, ne quid diſſimulem, *aurum* h. l. unice, de *aurora*, interpretor, cum firmiter credam, quod Elihu hanc, & non aliud quid, ſymbolice exprimere voluerit. Ut enim aurum divinitatis Symbolum cenſetur, ratione ſoliditatis, puritatis, fulgoris & τιμῆς. (10) ita aurora, aureum ſplendorem reddens, de operibus Majeſtatis divinæ teſtatur; inprimis, cum, Deus, qui in creatione dixit: ἐκ σκότους φῶς λάμψαι. 2. Cor. IV, 6. jam in conſervatione ſerenitatem aliquam auream, admirandum in modum, producat. Job. XXXVII, 11.

Non

(7) in *libro cit. pag. 1730.* (8) Confer M. ÆNETII *diſput. de Meteoris Ignitis* §. 11. & P. SCHOTTI *Phyſic. Curioſ. p. 1309.* (9) in *Antiquario ſuo pr. 1. p. 610.* (10) Confer Celeb. Dn. D. DEYLINGII *obſervation. ſacrar. pr. 11. p. 375.*

Non equidem dememini, Auroram per ſe non debe-ri Septentrioni vel aquiloni, qua tali, ſiquidem ortum ſuum, a ſole, trahit. (11) Sed, ſi terminum, a quo ſpectemus, dubitare non poſſumus, quod aurora a Septentrione aliquo generatim ita dicto, venire & exire incipiat. Septentrio enim, hoc loco, (etſi exprimatur per verbum צָפֹן quod proprie ſignificat plagam ſeptentrionalem a ſole abditam & ſejunctam,) ſolum, notat terminum aliquem tenebricoſum & abſconditum, a quo, Deus theſaurum potentiæ ſuæ ſecretiſſimæ & ditiſſimæ, quæ nunquam exhauriri poteſt, oculis noſtris quodammodo contemplandum ſiſtit, & lucem auream prodire, jubet. Id quod probat, cum notio ſeptentrionis generalis, quæ, in ſchola divina, variis ſymbolis exprimitur, & ad varios terminos extenditur, (12) tum ſpeciatim, genus loquendi exaſciatum, quo Elihu vocem צָפוֹן pro צָפוּן ſeu pro eo, quod abſconditum eſt, atque occultum, adhibet, (13) ita, ut hic ſenſus inde emergat: *Ex occulto, ex tenebrarum recondito theſauro, erumpit Aurora.* (14) Quapropter ſeptentrio hicce generalis in loco noſtro nihil aliud involvit, quam tenebras denſiſſimas, extremumque noctis

tra-

(11) vid. B. Dn. M. Roeperi hell-leuchtender Spiegel der Liebe. *p. 1123.* (12) Confer Cel. Dn. D. Michaelis *Annotat. Critic. in Jobi cap. XXXVII. p. 485. & in Pſalm. CXXXV. p. 1004.* (13) Evolvatur B. D. Opitii *Lexicon p. m. 912.* (14) Conſiderari hic ſimul poteſt vox צפירה quæ hebræis non ſolum tempus matutinum, ſed etiam auroram notat, ut Gatakerus *in operibus ſuis* bene obſervat.

tramitem, post quem, sol demum, respectu diei, oriri, velamen terræ detrahere, & lucem oculis nostris jucundam sistere incipit. Nam; quis est, qui solem orientem, & quæ, ab hocce, dependet, auroram, a septentrione generali seu thesauro tenebrarum recondito, velut ex camera reclusa, quotidie prodire inficietur? Intueamini, noctis decrementum, incrementumque diei. Nonne lux, tenebris paulatim dissipandis deprimendisque insistit? Nonne radii solares magis magisque prodeunt? Nonne aurora splendorem suum aureum in nubibus admirabiliter ostendit? Nemo sane de his dubitare potest. Hinc illud Elihu hilari vultu & animo ingeminemus: *A Septentrione venit aurum, id est, aurora.* Hæc enim est solis præmonstrator viæ, index amœnitatis, & splendor naturæ mirabilis. Sub hac certe, natura, somno quasi alto sepulta, recluditur, & recreatur. Hac prodeunte, nemo non, nova lucis benignitate condecoratur. Perpendit hoc secum probe, Vir quidam eruditus; Hinc auroram, colore suo, terram, illustrantem pingit, & hoc Lemma addit: *grata hora, sub aurora*, cui veterum illud, ex asse respondet: **Morgen-Stunde hat Gold im Munde.** Si vero, (ut pergamus,) connexionem propositionis consideremus, magna iterum difficultas, sese prodit, cui tollendæ, interpretes, multum, semper, operæ, impenderunt. Aut enim, ejus membra, plane sunt disjuncta? Aut unum idemque exprimunt? Instituti quidem nostri ratio, non permittit, ut in omnes Criticorum Theologorumque explicationes, quas ad locum nostrum con-

ferunt, fusius inquiramus. Hoc tamen intrepide affirmamus, quod, qui, emblematicam exponendi rationem, aut ignorant aut seponunt, dicto nostro nunquam satisfaciant. Nam primum sermonis membrum, quod Symbolum svavissimum, haud inconcinne, vocaveris, apodosin paulisper subticet, & arcanum respectum in objecto ponit, & fundat. Restat igitur, ut ad alterum propositionis membrum, seu Lemma, quod Spiritus S. tertio comparationis, in modis loquendi & rebus præsentandi, probe observato, diserte addit, deveniamus, atque illud illustremus. Hoc vero, quo magis peculiarem, eumque perfectum, habet sensum, ita quidem, ut & Symbolum accurate explicet, & sui ipsius, quem præ se fert, scopum, clare exponat, eo minus, cum vulgari loquendi modo, confundendum est. Id quod vel ideo observari meretur, quoniam nonnulli, alterum hoc membrum, plane, contra naturam Lemmatis transferunt. Celeberrim. COCCEJUS, in *Lexico suo*, verba diversimode reddit. *Pag. m.* 336. hoc modo: APUD DEUM TIMETUR, VEL METUENDA EST MAJESTAS. (*Participium verbaliter usurpatum.*) **Bey GOtt wird die Herrlichkeit gefürchtet / oder bey GOtt ist die Majestät schrecklich.** *Pag.* vero 174. ita scribit: *Apud Deum metuenda est, vel timetur* הוד *claritas. Apud Deum est, quod cogit, eum fateri, Deum esse.* **Bey GOTT wird billig seine Klarheit und Herrlichkeit gefürchtet.** Confer observationes a B. D. MAJO, ex ipsius, ope-

rum

rum ἀνεκδότων. *Tom.* 2. collectas, & Lexico Ebraico adjectas, *pag.* 109. ubi & ſequens dicti illuſtramentum conſpicitur : *Lux ſolis, quum ſudum eſt, ad lucem Dei rationem auri langvide fulgentis habet. Sed claritas virtutis Dei, quæ ipſius nomini & ſupereminentiæ æqualis eſt, eſt metuenda.* Plures explicationes & translationes affert B. Dn. D. CALOVIUS in *Bibl. Illuſtrat.* ad h. l. itemque Plurimum Reverendus Dn. M. G. C. DACHSELIUS, in illo, omnibus Sac. Litterarum cultoribus, commendando opere, quod inſcribitur: *Biblia Hebraica Accentuata, P. I. p.* 616. ubi & Dn. KORTHUMIUS adducitur, qui, in verſione ſua, hæc habet : **Von Mitternacht kömmt das Gold her. Gebenedeyet ſey die Herrlichkeit GOttes.** Nos igitur, ſine ulterioribus ambagibus, hanc translationem, approbamus, quippe quæ, egregie admodum, in Emblemate Elihu, Lemmatis & Epigrammatis naturam expreſſit. Licet enim alias, Lemma & Epigramma, quodammodo differant, ut *in Diſputatione ſupra citata* videre eſt, noſtro tamen in oraculo Lemma ſub ſe comprehendit Epigramma, quod explicatorium vocamus ; Atque adeo ſic, Emblemati huic biblico & accurato, nihil deeſt, ut ex accurata loci hujus conſideratione, abunde ſatis patet. Nam Elihu, vivis quaſi coloribus, pinxit orientem, ſub quo aurora mirabiliter ſplendeſcit, cum dixerit: *A Septentrione aurum venit.* Addidit Lemma ſequens: *Majeſtas Dei eſt venerabilis vel formidabilis.* **Herrlich und** venerable **iſt die Majeſtät GOttes.** Accedit jam Epigramma

 ex-

explicatorium, a nobis, non ſine intentione Elihu, expreſſum, quod ſequentis eſt tenoris:

Sicut ab obſcuris aurora aquilonibus exit;

Gloria ſupremi, ſic [*metuenda* / *veneranda*] *Dei.*

Sicut ventus Boreas ſerenitatem adfert, ſic majeſtas Dei incomprehenſibilis terrorem. (15)

Wie ſich von weiten her, die Morgenröthe zeiget;
So iſt des Höchſten Krafft, vor der ſich alles neiget.

Deus enim auroram format & conſervat. Deus quoque ſuis in operibus Majeſtatem ſuam oſtendit. Deus porro, nomen ſuum, apud ſe ipſum, vel in operibus ſuis, glorificat. Deus tandem, venerationem, a creaturis, poſtulat & acceptat. In omnibus itaque, Dei gloria, eſt venerabilis & Majeſtas formidabilis. Quam explicationem emblematicam roborat *α*) urgenda verborum συνάφεια, ſine qua, inextricabilis, ſeſe, confuſio, exerit. *β*) loquendi modus עַל־אֱלוֹהַּ *ſuper Deo*, quippe qui Majeſtatem Dei, & in ſinu Deitatis, & in operibus ejus, indicat. *γ*) Locus fere parallelus Geneſ. XXVIII, 17. quem propter verbum נוֹרָא, cui Lemma innititur, citamus. Ita enim Jacobus ibidem: *quam honorabilis locus hic.* quaſi diceret: *o quam venerabilis eſt Majeſtas Dei hic conſpicua!* & *δ*) potentia atque Deitas, in operibus creatis, manifeſtata. Rom. I, 20. Si quis itaque hiſce omnibus ſubſcribet, Emblemata certe biblica, in bonis rebus aut approbandis eſſe ducet; ſunt enim marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, ſignis tabulis, cælato

(15) Confer B. D. CALOVII *Bibl. Illuſtr. h. l.*

cælato auro & argento, & corintheis operis, perpetuo anteferenda.

Et hæc ſunt, VIR SVMME VENERABILIS, quæ mihi anſam præbent, TIBI, jam Lubecam profecto, ibique Præſulatum, quem legitima vocatione obtinuiſti, adminiſtranti, ea qua par eſt, quaque TIBI me obſtrictum profiteor, obſervantia, de tanta felicitate, tantoque culmine, in Eccleſia noſtra Evangelica, gratulandi. Etſi enim omnes cordati, maxime inter viros ſummos, eruditiſſimosque, in Saxonia, *diſceſſum* TVVM, mœſto animo, conſiderent, Lipſienſes inprimis TVI, vicem ſuam, multis modis, doleant; Nutu tamen divino, hinc abiiſti; Deo TE obedientem præbuiſti; Et vocationi, tam arduæ, tamque ſanctæ, id omne, quod vario felicitatis genere, variorumque honorum dignitate, apud nos Saxones, TE præ aliis cohoneſtare potuit, poſtpoſuiſti. Recte enim, hanc Dei viam, adorandam credis, cum ille non ſine cauſa vocet, neque cuidam, ut dicto ejus, haud audientem, ſe præbeat, indulgeat. Hinc, ejus ſub auſpiciis, ad ora, etiam, Terræ Septentrionalis, proficiſceris & mente Chriſtiana dicis: *quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur.* Uti vero, hac ratione, elegiſti, quod Eccleſiæ Lubecenſi proficuum, Nominique Dei glorioſum eſt; ita TIBI, mutationem hanc gravem, ſpartamque luculentam, atque ſummum honoris faſtigium, animo ſincero & pio, gratulor, & verba Elihu, TIBI, in memoriam revoco: *A Septentrione aurum venit. Apud Deum formidabilis Majeſtas.* Luceat TIBI, (jam Deum precor,) ſemper aurora, cum

in munere Tuo arduo, tum in toto vitæ Tuæ cursu, præbeatque oculis Tuis amœnitatem, nunquam non, jucundam! Avertat Deus, omne malum, a Te & Tuis! Protegat Vos alis auroræ suæ perpetuis! Adstet Angelus Dei ædibus Tuis dies noctesque! servet Te Deus, salvum sospitemque! præstet Te tutum, ab omnibus hostium insidiis! Et ad seros usque annos Tuam producat vitam! Notum est, quod Meno Hannekenius, & Georgius Henricus Götzius, Theologi & viri, summis, in Ecclesiam, meritis, & omnibus, veræ doctrinæ, sinceræque pietatis, laudibus conspicui, Lubecensibus, olim longa annorum serie, verbum Dei annunciaverint, & exemplo præiverint; Hinc Tibi, tantorum virorum, in munere, successori dignissimo, annos quoque Hannekenii, & Götzii, tanto ardore apprecor, quanto majorem Ecclesiæ Lubecensi requiem procurare studebis; Inprimis vero Theologi illius, encomio meo majoris, & post fata quoque celebrioris, Dn. D. Augusti Pfeifferi (cujus huc dum, in Academ. & Ecclesia Lipsiensi, licet sero tempore, vestigia legisti,) laudem ex testimoniis & fructibus, qualem, suffragio omnium, reportavit, (16) singulari cordis voto, Tibi admetior, & quidem ideo, quia non tantum, Lubecensibus Tuis, de orthodoxia, pietate, industria & virtute, Tua qua omni, vere Magnus evadis, satis constat; verum & Illi, quippe quorum veneratio, erga Mini-

(16) Conf. B. Dn. M. B. G. Hanneckenii, Viri quondam cordati, *Ministerium Spiritus pag. 28.*

Miniſtros Dei, omnium, in oculos, incurrit, meritis TVIS æſtimandis nunquam deerunt. Faxit Deus, ut in hacce Eccleſia, tam celebri, multum fructum facias, & oves Chriſti, ſana Evangelii doctrina, ſine impedimento, paſcas! Sic enim animam TVAM, tanto onere & ratione affectam, omnino liberabis, & lætiſſime aliquando exclamare poteris: *Fidem ſervavi, quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2. *Timoth. IV*, 7. Quid? quod, in vita & morte, Nomen Dei, a quo, utpote, gratioſo, miſericordi & juſto, lux piis, in tenebris exoritur, celebrabis, glorificabisque. Interea precibus amoribusque TVIS, porro, me, commendo; &, ſi TE, VIR MAGNIFICE, his in terris, convenire non poſſum, ſpero tamen fore, ut, in vita æterna, faciem TVAM, coram Deo, quem a facie ad faciem intueri poterimus, demum videam. Hæc voti mei *ſumma* eſt. Hoc animi ſuſpirium. Vale in *Domino*, iterumque vale!

Jam ad *Vos* quoque,

Qui Lubecæ, *partim* ad gubernacula Reipublicæ ſedetis, *partim* Eccleſiæ præeſtis, partim quoque bonis litteris, bonisque moribus ſtudetis, ad VOS, inquam, mea ſeſe vertit allocutio. Deus VOBIS, *Viri Illuſtriſſimi, Per-Magnifici, Excellentiſſimi, Summe Reverendi, Ampliſſimi, Graviſſimi, Eruditiſſimi, Clariſſimi, humaniſſimi, æſtumatiſſimique*, paterna ſane cura proſpexit, dum effecit, ut SAXONVM PROCERES, VOBIS, CELEBERRIMVM CARPZOVIVM, non denegaverint, *hicque* antea, petitis ac deſideriis VESTRIS, locum dare non dubitaverit.

Hinc

Hinc ea, quæ Miniſtrum
comitate, VOBIS, hunc T
addo votum: ut ipſo, tanc
NE & CHRYSOSTOMO,
noſtris temporibus, diu mu
gaudio animæ, fruamini. V
bet præcipui, quod in ſerm
deat, atque adeo ſic aliis e
omnino, tempore, imitanc
ti recordor, quo Beatus D
lumen illud cœtus purioris
lim Lubecenſium expreſſit
bendo: *Celeberrima veſtra*
cula reliquarum in hac part
conſtituta eſt, a multis jam
pio & laudabili zelo doctri
præclarum illud, a viro Dei
r ... tum, a quibusvis pernici
conſervandi, reliquis Eccleſ
conſimile pietatis ſtudium, e
horum Anteceſſorum v
VOBIS nunquam deerit
proficiſcitur, Deique M
bilem venerabi
po

S. D

(17) videatur *T. I. Act. M*
RIUS in *Annotation. ad Mnemoſy*

nistrum Evangelii sincerum decet,
hunc Theologum gratulor, & hoc
so, tanquam altero illo, JOHAN-
OMO, periculosis, inprimis, his
diu multumque, in pace, & cum
nini. Vestra enim Ecclesia, id ha-
in sermonibus Christi manere stu-
c aliis exemplum præbeat, omni,
mitandum. Quare hic illius effa-
eatus D. MART. CHEMNITIVS,
urioris fulgidissimum, gloriam o-
xpressit, ad Majores vestros scri-
a vestra Ecclesia, quæ tanquam spe-
ac parte Saxoniæ Ecclesiarum a Deo
is jam annis singulari Dei beneficio,
doctrinæ nobiscum puritatem, ac
iro Dei Luthero relictum, nobis, de-
perniciosis corruptelis vindicandi &
s Ecclesiis præluxit, ac plurimas, ad
dium, excitavit. (17) Et quoniam
um vestigiis etiamnum insistitis,
deerit, quod ab aurora divina
ique Majestatem VOBIS adora-
enerabilemque reddere
potest.

S. D. G.

I. Act. Minist. p. 471. & B. Dn. D. POMA-
Anemosynon lib. Concord. p. 71.